

Azarias Sturtz Jakob Sturtz

Disputatio Iuridica De Iustitia Et Iure

Rostochi[i]: Pedanus, 1627

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn731523806>

Druck Freier  Zugang



Gerechtigkeit und Recht

A. Stutz - J. Stutz.
R. U. Nr. 1627.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
JUSTITIA ¹²
ET JURE,

QUAM

Divinæ benignitatis aurâ cle-
menter adspirante

SUB

Nobilissimi, Consultissimi, Excellentissimiq. viri
AZARIÆ STURTZII Jcti
celeberrimi, in eâdem Academiâ Historiarum Professo-
ris dignissimi, Illustrissimorum Ducum Sleswicens. Holsta-
tia, &c. lineæ Sonderburgensis Consiliarij fra-
tris germani mei ab imo adamati,
Præsidio,

Publicè defendendam proponit,

JACOB STURTZ,

In Acroasi majori ad diem 2. Junij
horis statis.



ROSTOCHI

Ex Typographia JOACHIMI PEDANI,
Academia Typograph. Anno 1627.

Illustri & Generosissimo domino,

Dn. JOHANNI SKYTTE,

Seniori Libero Baroni in Duderhoff, domino hereditario in Gronfion & Stromsrum, Equiti aurato, Serenissimi & Potentissimi Regis & regni Sueciæ Consiliario & Senatori, Regiæ Cameræ Administratori & Academiæ Ubsaliensis Cancellario magnificentissimo,
Domino & patrono meo gratiosissimo.

NEC NON

*Nobilissimis, Clarissimis, & Consultissimis
Viris,*

Dn. JOHANNI MORINGIO, Jcto

& practico insigni, atq; Reipubl. Rostochiensis Consiliario & aliarum civitatum Syndico, patri honorando,

Dn. AZARIAE STURTZ, Juris Do-

ctori, & Professori in Academia Rostochiensis, & Illustrissimorum Ducum Slesvvicensium Holsatiæ, &c. lineæ Sonderburgensis Consiliario, fratri observando,

Dn. JOHANNI GETELT, Juris

Utriusq; Doctori, Judicij Provincialis Illustrissimorum Ducum Megapolensium Advocato, affini colendo,



Ta fac, scribit Seneca ad Lucilium, vindica te tibi, & tempus, quod adhuc aut auferebatur, aut surripiebatur, aut excidebat, collige & serua. Persuade tibi hoc sic esse ut scribo, quaedam tempora eripiuntur nobis, quaedam subducuntur, quaedam effluunt. Turpissima tamen est iactura, quae per negligentiam fit: & si volueris attendere, magna vita pars elabatur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Aurea sanè illa verba sunt, Illustris & Generosissime Dn. Baro, Nobilissimi, Clarissimi, & Consultissimi Viri, & digna, ut non modo eboreis aut lapideis tabulis instar legis more Romanorum insculpantur & ante rostra ponantur: verum & nostris animis & cordibus ita inscribantur, ut nunquam ex eis illa evadere sinamus. Si intentionem Senecae non contempserimus, erit è re nostrâ, ut voluptatem, quae mater malorum omnium, teste Cicerone, procul à nobis removeamus, & si quaedam scintilla voluptatis, quae illecebra est turpitudinis, appareat, eradiceamus. Ejus blanditijs si quis sit corruptus: non modo, licet à natura bonus fuerit, à sapientiâ, quâ nihil à Dijs immortalibus uberius, nihil florentius, nihil prestabilius hominum vita datum est, quae & mater omnium bonarum artium, deterretur; sed etiam multa alia vitia ut libido, otium, calliditas, tanquam satellites, huc
junt

sunt annexa. Multa insuper sequuntur incommoda
huic dedito cura. siquidem majore corporis sarcina
animus eliditur, & minus agilis est: Itaque quan-
tum potest quis circumscribat corpus suum, & ani-
mo locum laxet. Sed illud est, quod imperitos in ve-
xatione corporis malè habet: non assueverunt ani-
mo esse contenti: multum illis cum corpore est. Ideò
sibi indulgentes & corpori deseruientes sedulà in-
dustrià & studio artium liberalium alliceant inter-
missionem voluptatum, & aliorum vitiorum tur-
pitudinem vitæ adducentium. Quid autem fœdius,
quid indignius, quam præferre contempta veneran-
dis? veneranda enim sunt, fides, justitia, pietas, pru-
dentia, sapientia: contemnenda verò voluptas, luxu-
ria, & quæ turpitudini vitæ propria. Vir magnus
ac prudens animum ideo etiam deducit à corpore &
multum cum meliore & divina parte versatur
cum hac querula ac fragili, quantum necesse est. Sed
molestum est, retorquet forsitan voluptati deditus,
assuetis voluptatibus abstinere vitæ luxuriosa tan-
quam cibo, sitire, esurire. Hæc prima abstinentia
gravia sunt: deinde cupiditas relanguescit, ipsis per
quæ cupimus fatigatis ac deficientibus. Inde moro-
sus est stomachus: inde quorum fuit aviditas, odium
est, desideria ipsa moriuntur. Non est autem acer-
bum carere eo, quod cupere desieris.

Otio non facile indulgendum, inprimis eo, ad
quod

quod vergit iners cupido multi pravi. solet namq;
ad desperationē nos huiusmodi vita perducere: quo-
niam desiderat oculorum & aurium sensum & con-
stantiam ad custodienda optima, cuiusq; etiam ju-
diciū labat etiamm & incertum est. Desisten-
dum igitur ab otio atq; fines virtutum ac bonorum
cognoscendi. Vitam enim occupare satietas sui non
potest, res varias, magnas, divina percensentem. in
odium tantum illam sui adducere solet iners otium.
Rerum naturam peragranti nunquam in fastidium
veritas veniet: falsa satiabunt. Otiosi & nihil a-
ge ites saepe quoq; impetum capiunt abrumpenda vi-
ta: & tota eorum natura umbra est, aut inanis, aut
fallax. Qui verò animum ad aliquod studium ar-
tium liberalium appellant, totamq; vitam in eo ab-
sumere animum sibi inducunt, imò nihil temporis
ne vilissimum quidem praterendum censent. Illi
benè in considerationem vocant infinitam esse velo-
citatē temporis, quæ etiam magis apparet respici-
entibus. Nam ad præsentia intentos fallit: ad eò præ-
cipitis fugæ transitus levis est. Punctum est, quod
vivimus, & adhuc puncto minus: sed hoc minimum
specie quadam longioris spatij natura dividit. Aliud
ex hoc infantiam fecit, aliud pueritiam, aliud ado-
lescentiam, aliud inclinationem quandam ab ado-
lescentiâ ad senectutem, aliud ipsam senectutem.
Quis erit, qui aliquod pretium temporis, si nugis,

voluptatibus, otio id absumserit, ponat? qui diem aestimet? qui intelligat se quotidie mori? si igitur omnia aliena sunt: tempus tantum nostrum est. omni labore & ingenij sedulitate nitendum, omnes horas complecti, ne quid temporis, in quo non boni quid & laudabile peregrinamus, transeat. Sic fiet, ut minus ex crastino pendeat quis, si hodierno manum injecerit. Nihila. praestantius, laudabilius, florentius inveniri & excogitari potest arte liberali, quam homines informantur, quam exculti clavum in reip. puppi sedentes tenent, quam civitates praecipue conservantur, pietate, justitia, fortitudine, in primisque prudentia, earum sunt omnium artium quasi semina literarum prodita monumentis. Cujus autem doctrinarum luce careat animus, quid is tandem gerere, quid suscipere, quid cogitare praclarum potest, vix video. Qui cumque ergo vir doctus, & praestans evadere satagit, persuadeat sibi ut imaginem viri eruditi condat, atque amulator istius esse cupiat, ad quem cum oculorum convertat aciem, totidem sibi concessum principis artium videatur intueri. Intueatur Chrysippum, aut Syracusanum Archimedes, aut Solonem, aut alium virum eruditione summa pollentem. Chrysippus studiis adeo fuit intentus, ut eum tanquam extra se positum cibi & potionis ceperit oblivio, ut etiam fame periturus fuisset, nisi ancilla ejus Melissa cibum ei in os ingessisset. Syracusanus Archimedes,

des, qui non modo earum rerum, quas natura fert, præ ea, quam capiebat è studijs oblectatione, memor non erat: sed in illa ipsa Syracusana urbis direptione ita defixus erat in studio, ut prius hostilis gladij cuspidem corpore exceperit, quam urbem in hostiũ potestatem venisse sentiret. Solonẽ verò accepimus, cum gravissima vi morbi defixus in lecto vicinitate jam mortis ab omnibus penè corporis partibus sensus abscesserat, inaudiuit adhuc assidentes amicos de re quapiam submissè, ne ipsi molestiam parerent, disputantes, erecto, ut potuit, jam semimortuo capite, rogasse eos, ut aliquanto loquerentur clarius, sibi, si etiam moriens aliquid discere potuisset, discessum è vitã jucundio rem fore. Quid hunc verisimile est firmũ ac valentẽ fecisse; qui ne mori quidẽ, nisi discẽdo, voluerit. O discẽdi cupiditas quid nõ efficis, ubi semel generosa ingenia occupasti? Sed temporis me ratio, ut vela cõtraham, portumq; tandem respiciam, monet.

De justitia ejusq; effectu nunc non dicam, illa n. virtus omnium est doctrina & regina virtutum: & finis & scopus juris Civilis, ad quam quiq; Philosophi præstantissimi, & Juris consulti præclarissimi leges meritissimò retulerint omnes. Jucundum itaq; imò planè necessarium esse censui, ut, si quid publicarem, à Justitia vel ut fine juris civilis inceptarem, cum eo perfectior atq; illustrior noster reddatur animus, si cognoverimus, à quo tota dependeat Jurispruden-
tia.

tia. Quamvis autem paupertati ingenij atq; doctrinae exiguae mihi conscius, perversi quoq; multorum hujus seculi de alienis scriptis inscite & malignè judicantium moris non ignarus, adductus tamen sum, ut hoc opusculum de Justitia & Jure tractans, quantum per otium & ingenij tenuitatem licuit, in synopsis quandam redigerem, atq; typis publicè committerem. siquidem nihil est tam indignum, tamve inimicum egregiae stirpi, quàm si quis sic vitam instituat suam, ut nihil in se animi, nihil virtutis, nihilq; nervorum esse demonstraret, ac vitam sic transire patiatur suam, sicut pecus, ut Cicero scriptum reliquit.

Nec de patronis mei laboris eligendis teneor esse sollicitus siquidem tantopere Illustri Baroni, Nobiliss. Consultiss. & Excellentiss. Viris, quorum nomina gloriosa per se fama & honorum cumulo in dedicatione ipsa sunt exsculpta, ut ea huc repetere baud autumen, servitijs, officijs, benevolentia, sanguine & filiali obsequio ita sum, obstrictus, ut si sanguinem etiam pro uno eorum effunderem, vix tamen spem patrocinij & tot beneficia in me semper collata rependere possem. Suscipite igitur Illust. Baro, Nobil. Consult. & Excell. viri, hunc meum laborem fronte bilari, vultu sereno, calculo candido, studijsq; & conatibus meis favete: quam optionem si affectus fuero, nihil mihi usq; gratius, nihil charius, nihil magis necessarium futurum erit. Interim valete & feliciter vivite, Dabam è museo meo Rostochij 28. Maj. Anno 1627.

Submissae observantiae & debitae gratitudinis ergo

offert & inscribit

autor & respondens

JACOB STURTZ.

des, qui non modo earum rerum
praeter ea, quam capiebat è studiis
non erat: sed in illa ipsa Syra-
ne ita defixus erat in studio, a
cuspide corpore exceperit, quod
potestatem venisse sentiret. Sed
cum gravissima vi morbi defi-
jam mortis ab omnibus penè ce-
abscesserat, inaudiuit adhuc a
quapiam submissè, ne ipsi mole-
tantes, erecto, ut potuit, jam
gasse eos, ut aliquanto loque-
etiam moriens aliquid discere
vitam jucundior fore. Quid
mum ac valentem fecisse; quine
voluerit. O discendi cupiditas
generosa ingenia occupasti? Se-
vela contraham, portumque tan-

De justitia eiusque effectu
virtus omnium est doctrina
finis et scopus juris Civilis, ad
praestantissimi, et Juris consulti
meritissimè retulerint omnes
planè necessarium esse censui,
à Justitia vel ut sine juris civi-
eo perfectior atque illustrior ne-
si cognoverimus, à quo tota a-

stura fert,
e, memor
s direptio-
ilis gladij
in hostium
cepimus,
vicinitate
ibus sensus
nicos de re
ent, dispu-
capite, ro-
rius, sibi, se
discessum è
nile est fir-
si discendo,
is, ubi semel
ne ratio, ut
am, monet.
cam, illa n.
rtutum: et
Philosophi
ssimi leges
n itaque imò
ublicarem,
arem, cum
tur animus,
urispruden-
tia.

